

APÉNDICES DEL TOMO PRIMERO

APÉNDICES DEL TOMO PRIMERO

LIBRO PRIMERO

CAPÍTULO PRIMERO

I.—CARTA DE SAN CIPRIANO AL CLERO Y PUEBLO DE ESPAÑA

«Cum in unum convenissemus, legimus litteras vestras, fratres dilectissimi, quas ad nos per Felicem et Sabinum Episcopos nostros pro fidei vestrae integritate, et pro Dei timore fecistis, significantes Basilidem et Martialem libellis idololatriae commaculatos, et nefandorum facinorum conscientia vinctos, Episcopatum gerere et Sacerdotium Dei administrare, non oportere, et desideratis rescribi ad haec vobis et justam pariter ac necessariam sollicitudinem vestram vel solatio vel auxilio nostrae sententiae sublevari.... Plebs obsequens praeceptis dominicis et Deum metuens, a peccatore Praeposito separare se debet, nec se ad sacrilegi Sacerdotis officia miscere, quando ipsa maxime pateat potestatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi: quod et ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut Sacerdos, plebe praesente, sub omnium oculis deligatur, et dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur, sicut, in Numeris, Dominus Moysi praecepit dicens: *Apprehende Aaron fratrem tuum et Eleazarum filium ejus et impone eos in montem coram omni Synagoga, et exue Aaron stolam ejus, et indue Eleazarum filium ejus, et Aaron appositus moriatur illic. Coram omni Synagoga jubet Deus constitui Sacerdotem, id est, instrui et ostendit, ordinationes sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe praesente vel detegantur malorum crimina vel bonorum merita praedicentur, et sit ordinatio justa et legitima, quae omnium suffragio et iudicio fuerit examinata.*

»Quod postea secundum divina magisteria observatur in *Actis Apostolicis* quando de ordinando in locum Judae Episcopo Petrus ad plebem loquitur: *Surrexit, inquit, Petrus in medio discitentium, fuit autem turba in uno. Nec hoc in Episcoporum tantum et Sacerdotum, sed et in Diaconorum ordinationibus observasse Apostolos, animadvertimus, de quo ipso in Actis eorum scriptum est: Et convenerunt illi duodecim totam plebem discipulorum....*

»Propter quod diligenter de traditione divina et apostolica observatione observandum est, et tenendum, quod ante nos quoque et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui Praepositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciae quique convenient, et Episcopus deligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissimè novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit.

»Quod et apud vos factum videmus in Sabini collegae nostri ordinatione, ut de universae fraternitatis suffragio, et de episcoporum, qui in praesentia convenerant, quique de eo ad vos litteras fecerant, iudicio, Episcopatus ei deferretur, et manus ei in locum Basilidis imponeretur.

»Nec rescindere ordinationem jure perfectam potest, quod Basilides post crimina sua detecta, et conscientiam etiam propria confessione nudatam, Romam pergens, Stephanum collegam nostrum, longe positum, et gestae rei, ac tacitae veritatis ignarum fefellerit, ut exambiret, reponi se injuste in Episcopatum, de quo fuerat juste depositus....

»Propter quod integritatis et fidei vestrae religiosam sollicitudinem, fratres dilectissimi, et laudamus pariter et probamos, et quantum possumus adhortamur litteris nostris, ne vos cum prophanis et maculatis Sacerdotibus communicatione sacrilega misceratis, sed integram et sinceram fidei vestrae firmitatem religioso timore servetis»¹.

II.—CARTA DE OSIO A CONSTANCIO

«Ego confessionis munus explevi, primum cum persecutio moveretur ab avo tuo Maximiano, quod si tu quoque persecutionem moves, etiam nunc ad quidvis potius sustinendum paratus sum quam ut effundam innocentem sanguinem et veritatem prodam, teque nequaquam probo talia scribentem, et istiusmodi minas denuntiantem. Desinas igitur istiusmodi scribere, neque sentias cum Ario, neque audias orientales, neque Ursacio et Valenti fidem habeas, quae enim illi dicunt, non ob Athanasium sed ob suam haeresim dicunt. Mihi crede, qui tibi avus aetate esse possem: fui ipse in Sardicensi Concilio, cum tu tuusque frater beatus Constans nos omnes eo convocabat, ipseque ultra Athanasii inimicos provocavi, cum ad Ecclesiam, ubi ego commorabar, advenissent ut si quid contra eum haberent, ederent promissive eis securitatem, neve quidquam aliud spectarent quam rectum in omnibus iudicium, idque non semel, sed bis feci: quod si nollent rem ab Universa Synodo discipari, saltem me iudice uterentur: promissive etiam nos Athanasium, si in noxa reperiretur, omnibus modis ejecturos esse. Quod si innocens deprehendatur, et vos ostenderit calumniatores, et aequè illum recusaveritis: ego illi persuadebo ut mecum in Hispanias veniat. Athanasius autem his conditionibus obtemperavit, nihil contra oblocutus: illi vero ad omnia aequè diffidentes recesserunt. Athanasius deinde tuis litteris accersi-

¹ Con San Cipriano firman esta carta treinta y siete Obispos de África. He suprimido algunas líneas para no repetir noticias ya dadas en el texto.

tus venit in castra tua, omnesque inimicos suos, qui Antiochiae praesto erant, singulatim citari jussit, ut aut redarguerent, aut redarguerentur, et aut se praesentem commostrarent ea fecisse quae obicerant, aut ne absentem calumniarentur: sed ne tunc quidem haec ipsi denuntiantem sustinuerunt, minime istiusmodi condiciones admittentes. Cur igitur nunc audis obtretractores ejus? aut cur toleras Valentis et Ursacii criminationes, poenitentia et scripto professos se calumniam fecisse? Confessi enim sunt suam sycophantiam, non vi adacti, ut ipsi causantur, cum nulli ibi milites incumbere, et tuus frater nesciret. Nihil enim tale sub ipso agebatur qualia nunc fiunt, sed illi ultra Romam venerunt, et coram Episcopo Presbyterisque ibi praesentibus, confessionem suam scripto ediderunt, cum prius pacatas litteras et amicas ad Athanasium dedissent. Quod si iis libet vim causificari; idque pro malo habent, nec a te probatur, omitte igitur et tu violentiam tuam, nec litteras scribe, nec comites mitte, sed relegatos exiliis libera, nec te de vi quaerente, majorem vim illi sub tuo nomine exerceat. Quid enim tale a Constante actum est? aut quis ibi Episcopus relegatus? aut quando iudiciis ecclesiasticis interfuit? aut quis ipse Palatinus ubi adhibuit ut contra alique subscriptio feret, ut idem Valens cum suis aliquid colligat, habeatque quod objiciat? Desine, quaeso, et memineris te mortalem esse: reformida diem iudicii: serva te in diem illum purum, nec te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere praecipere, sed potius ea a nobis discere. Tibi Deus imperium commisit, nobis, quae sunt Ecclesiae, concedidit: et quemadmodum qui tuum imperium occultis conatibus invadit, contradicit ordinationi divinae, ita et tu cave, ne quae sunt Ecclesiae ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. *Date*, scriptum est, *quae sunt Caesaris Caesari, et quae Dei, Deo*. Neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum et sacrorum potestatem habes, Imperator. Haec quidem ob curam tuae salutis scribo, et de iis quae in Epistolis scribis, hanc meam sententiam accipe. Ego neque Arianis assideo, neque suffragor, sed eorum haeresim anathemate damno, neque Athanasii accusationibus subscribo, quem nos et Romana Ecclesia et Universa Synodus innocentem pronuntiavit. Nam et tu quoque cum rem cognitam perspectamque haberes, Athanasium accersivisti, fecisti ei copiam ut cum honore in patriam et Ecclesiam revertetur. Quae igitur causa est hujus tantae mutationis, cum iidem inimici ejus sint, qui antea fuerunt? Et quae nunc susurrant nihil eorum, cum ille praesens esset, hiscere audebant, sed ea, antequam accerseres Athanasium, obmurmurabant, quo tempore a me conventi, quemadmodum superius dixi, ut ederent criminum documenta, nihil in medium adducere poterunt. Nam si quidquam potuissent, non ita turpiter aufugissent. Quis te igitur induxit ut post tantum temporis tuarum litterarum et sermonum oblivisceris? Inhibe te, quaeso, neque aures praebes malis hominibus, neque ob mutuas invicem cum illis gratificationes, temetipsum reum facias. Quae enim iis indulseris, de illis in iudicio solus cogeres causam reddere. Isti suum inimicum per te satagunt injuria afficere, teque volunt ministrum suae malitiae esse, ut per te detestabilem haeresim in Ecclesia seminent. Non est prudentis in gratiam alienae libidinis seipsum in certum periculum conjicere. Desine, quaeso, et ausculta mihi, Constanti: hoc enim decet et me scribere et te non vilipendere.»

CAPÍTULO II

I.—TEXTOS DE SULPICIO SEVERO, SAN JERÓNIMO, ETC., RELATIVOS A LA HISTORIA DEL PRISCILIANISMO

«Sequuntur tempora aetatis nostrae gravia et periculosa, quibus non usitato malo, pollutae Ecclesiae et perturbata omnia. Nemque tum primum infamis illa Gnosticorum haeresis intra Hispanias deprehensa, superstitione exitiabilis, arcana occultata secretis. Origo istius mali, oriens ab Aegiptiis. Sed quibus ibi initiis coaluerit, haud facile est disserere. Primus eam intra Hispanias Marcus intulit, Aegypto profectus, Memphis ortus. Hujus auditores fuere, Agape quaedam non ignobilis mulier, et rhetor Helpidius. Ab his Priscillianus est institutus, familia nobilis, praedives opibus, acer, iniquus, facundus, multa lectione eruditus, disserendi ac disputandi promptissimus. Felix profecto, si non pravo studio corrupisset optimum ingenium: prorsus multa in eo animi et corporis bona cerneret. Vigilare multum, famem ac sitim ferre poterat, habendi minime cupidus, utendi parcissimus. Sed idem vanissimus et plus justo inflator prophanarum rerum scientia: quin et magicas artes ab adolescentia eum exercuisse creditum est.

»Is ubi doctrinam exitiabilem aggressus est, multos nobilium, pluresque populares, auctoritate persuadendi et arte blandiendi, alicuit in societatem. Ad hoc mulieres novarum rerum cupidae, fluxa fide, et ad omnia curiosum ingenium, catervatim ad eum confluebant. Quippe humilitatis speciem ore et habitu praetendens, honorem sui et reverentiam cunctis injecerat. Jamque paulatim perfidiae istius tabes, pleraque Hispaniae pervaserat, quin et nonnulli Episcoporum depravati, inter quos Instantius et Salvianus, Priscillianum non solum consensione sed sub quadam etiam conjuratione susceperant. Quo Adyginus Episcopus Cordubensis, ex vicino agens, comperto, ad Idatium emeritae aetatis sacerdotem refert. Is vero sine modo, et ultra quam oportuit, Instantium sociosque ejus lacessens, facem quandam nascenti ingenio subdidit: ut exasperaverit malos potius quam compresserit. Igitur post multa inter eos et digna memoratu certamina, apud Caesaraugustam Synodus congregatur: cui tum etiam Aquitani Episcopi interfuere. Verum haeretici committere se iudicio non ausi, in absentem tum lata sententia, damnatique Instantius et Salvianus Episcopi, Helpidius et Priscillianus laici. Additum etiam, ut si quis damnatos in communionem recepisset, sciret in se eandem sententiam proferendam. Atque id Ithacio Sossubensi Episcopo negotium datum, ut decretum Episcoporum in omnium notitiam deferret, maximeque Iginum extra communionem faceret, qui cum primus omnium insecrari palam haereticos coepisset, postea turpiter depravatus, in communionem eos recepisset. Interim Instantius et Salvianus, damnati iudicio sacerdotum, Priscillianum etiam laicum sed principem malorum omnium, una secum

Caesaraugustana Synodo notatum ad confirmandas vires suas, Episcopum in Labinensi offridio, constituunt: rati nimirum, si hominem acrem et callidum sacerdotali auctoritate armassent, tutiores fore sese.

»Tum vero Idacius atque Ithacius acrius instare, arbitantes posse inter initia malum comprimere; sed parum sanis consiliis saeculares iudices adunt, ut eorum decretis atque excusationibus haeretici urbis perellerent. Igitur post multa et foeda, Idatio supplicante, elicitur a Gratiano, tum Imperatore, rescriptum quo universi haeretici excedere non Ecclesiis tantum aut urbibus, sed extra omnes terras propelli jubebantur. Quo comperto, Gnostici diffisi rebus suis, non ausi iudicio certare, sponte cessere, qui Episcopi videbantur: caeteros metus dispersit. At tum Instantius, Salvianus et Priscillianus Romam profecti, ut apud Damasum urbis ea tempestate Episcopum, obiecta purgarent. Sed iter eis praeter interiorem Aquitaniam fuit, ubi tum ab imperitis magnifice suscepti, sparsere perfida semina: maximeque Elusanam plebem, sane tum bonam et religioni studentem, pravis praedicationibus pervertere. A Burdigala per Delphinum repulsi, tamen in agro Euchrotiae aliquantisper morati, infecere non nullos suis erroribus. Inde iter coeptum ingressi turpi sane pubibundoque comitatu, cum usuribus atque alienis etiam feminis, in quibus erat Euchrotia, ac filia ejus Procula: de qua fuit in sermone hominum, Priscilliani stupro gravidam, partum sibi graminibus abegisse.

»Hi ubi Romam pervenere, Damaso se purgare cupiens, ne in conspectum quidam ejus admissi sunt. Regressi Mediolanum, aequae adversantem sibi Ambrosium reppererunt. Tum vertere consilia, ut quia duobus Episcopis, quorum ea tempestate summa auctoritas erat, non illuserant, largiendo et ambiendo, ab Imperatore cupita extorquerent. Ita corrupto Macedonio, cum Magistro officiorum, rescriptum eliciunt, quo calcatis quae prius decreta erant, restitui Ecclesiis jubebantur. Hoc freti Instantius et Priscillianus repetere Hispanias. Nam Salvianus in urbe obierat: ac tum sine ullo certamine Ecclesias quibus praefuerant, recepere. Verum Trachio ad resistendum non animus sed facultas defuit: quia haeretici, corrupto Volventio proconsule, vires suas confirmaverunt. Quin etiam Ithacius, ab his quasi perturbator Ecclesiarum reus postulatus, jussusque per atrocem executionem deduci, trepidus profugit ad Gallias: ibi Gregorium praefectum adiit. Qui compertis quae gesta erant, rapi ad se turbarum auctores jubet, ac de omnibus ad Imperatorem refert, ut haereticis vim ambiendi praenuderet. Sed id frustra fuit: quia per libidinem et potentiam paucorum, cuncta ibi venalia erant.

»Igitur haeretici, suis artibus, grandi pecunia Macedonio data, obtinent ut Imperiali auctoritate Praefecto erepta cognitio, Hispaniarum Vicario committeretur: missique a Magistro officiales qui Ithacium tum Treveris agentem, ad Hispanias retraherent. Quos ille callide frustratur: ac postea per Britannium Episcopum defensus, illisit. Jam rumor incesserat Clementem Maximum intra Britannias sumpsisse imperium, ac brevi in Gallias erupturum. Ita tum Ithacius statuit, licet rebus dubiis, novi Imperatoris adventum expectare: interim sibi nihil agendum. Igitur ubi Maximum oppidum Treverorum victor ingressus est, ingerit preces, plenas in Priscillianum ac socios ejus vindictae atque criminum. Quibus permotus Imperator, datis ad

Praefectum Galliarum atque ad Vicarium Hispaniarum litteris, omnes omnino quos labe illa involuerat, deduci ad Synodum Burdegalensem jubet. Ita deducti Instantius et Priscillianus: quorum Instantius prior jussus causam dicere, postquam se parum expurgabat, indignus esse Episcopatu pronuntiatus est. Priscillianus, vero, ne ab Episcopis audiretur, ad Principem provocavit permittendum id nostrorum: inconstantia, quia aut sententiam in refragantem ferre debuerat, aut si ipsi suspecti habebantur, aliis Episcopis audientiam reservare, non causam Imperatori de tam manifestis criminibus permittere.

Ita omnes quos causa involverat, ad Regem deducti, Sequuti etiam accusatores, Idatius et Ithacius Episcopi: quorum studium in expugnandis haereticis non reprehenderem, si non studio vincendi plus quam oportuit, certasset. Ac mea quidem sententia est, mihi tam reos quam accusatores displicere. Certe Ithacium nihil pensi, nihil sancti habuisse, definitio. Fuit enim audax, loquax, impudens, sumptuosus, ventri et gulae plurimum impertiens. Hic stultitiae eo usque processerat ut omnes etiam sanctos viros, quibus aut studium inerat lectionis, aut propositum erat certare jejuniis, tanquam Priscilliani socios aut discipulos, in crimen arcesseret. Ausus etiam miser est ea tempestate Martino Episcopo, viro plane Apostolis conferendo, palam obiectare haeresis infamiam. Namque tum Martitus apud Treveros constitutus, non desinebat increpare Ithacium, ut ab accusatione desisteret: Maximum orare, ut sanguine infelicium abstineret: satis superque sufficere ut Episcopali sententia haeretici iudicati, Ecclesiis pellerentur: novum esse et inauditum nefas ut causam Ecclesiae iudex saeculi iudicaret. Denique quoad usque Martinus Treveris fuit, dilata cognitio est, et mox discessurus, egregia auctoritate a Maximo elicit responsonem, nihil cruentum in reos constituendum.

Sed postea Imperator per Magnum et Rufum Episcopos depravatus, et a mitioribus consiliis deflexus, causam Praefecto Evodio permisit, viro acri et severo. Qui Priscillianum gemino iudicio auditum, convictumque malefici nec diffidentem obscenies se studuisse doctrinis, nocturnos etiam turpium foeminarum egisse conventus, nudumque orare solitum, nocentem pronuntiavit, redegitque in custodiam, donec ad Principem referret. Gestis ad Palatium delatis, censuit Imperator Priscillianum sociosque eius capitis damnari oportere. Caeterum Ithacius videns quam invidiosum sibi apud Episcopos foret, si accusato etiam postremis rerum capitalium iudiciis astitisse (enim iterari iudicium necesse erat) subtrahit se cognitioni frustra, callido iam scelere perfecto. Ac tum per Maximum accusator opponitur quidam fisci patronus. Ita eo insistente, Priscillianus capitis damnatus est, unaque cum eo Felicissimus et Armenius, qui nuper a Catholicis, clerici Priscillianum secuti, desciverant. Latronianus quoque et Euchrotia, gladio perempti. Instantius, quem superius ab Episcopis damnatum diximus, in Sylinam insulam quae ultra Britanniam sita est, deportatus. Item deinde in reliquis sequentibus iudiciis, damnatique Asarinus et Aurelius diaconus gladio. Tiberianus, adempris bonis, in Sylinam insulam datus. Tertullus, Potamius et Joannes, tanquam viliores personae et digni misericordia, quia ante quaestionem se ac socios prodidissent, temporario exilio intra Gallias, relegati. Hoc fere modo homines luce indignissimi, pessimo exemplo, necati aut exi-

liis multati: quod initio jure iudiciorum..... defensum, postea Ithacius iurgis solitus, ad postremum convictus, in eos retorquebat, quorum id mandato et consiliis effecerat: solus tamen omnium Episcopatu detrusus. Nam Idacius, licet minus nocens, sponte se Episcopatu abdicaverat. Sapienter id, et verecunde, nisi postea amissum locum repetere tentasset.

Caeterum Priscilliano occiso, non solum non repressa est haeresis quae illo auctore proruperat, sed confirmata, latius propagata est. Namque sectatores ejus, qui eum prius ut Sanctorum honoraverant, postea ut Martyrem colere coeperunt. Peremptorum corpora ad Hispaniam relata, magnisque obsequiis celebrata eorum funera. Quin et jurare per Priscillianum summa religio putabatur, ac inter nostros perpetuum discordiarum bellum exarserat: quos jam per quindecim annos foedis disensionibus agitata, nullo modo sopiri poterat. Et nunc, cum maxime discordiis Episcoporum turbari aut misceri omnia cernerentur, cunctaque per eos odio aut gratia, metu, inconstantia, invidia, factione, libidine, avaritia, arrogantia, desidia essent depravata: postremo plures adversum paucos bene consulentes, insanis consiliis et pertinacibus studiis certabant: inter haec plebs Dei et optimus quisque probro atque ludibrio habebatur¹.

«Veniam ad illud quod propter notam temporum semper occultarit, sed nos celare non potuerit. In quod illud est miraculi quod facie ad faciem cum eo est Angelus collocatus. Maximus, Imperator alias sane bonus, depravatus consiliis sacerdotum, post Priscilliani necem, Ithacium Episcopum Priscilliani accusatorem, caeterosque illius socios, quos nominari non est necesse, vi regia tuebatur, ne quis ei crimini daret, opera illius cujuscumque modi hominem fuisse damnatum. Interea Martinus multis gravibusque laborantium causis ad comitatum ire compulsus, procellam ipsam totius tempestatis incurrit. Congregati apud Treveros Episcopi tenebantur, qui quotidie communicantes Ithacio, communem sibi causam fecerant. His ut nuntium est inopinantibus adesse Martinum, totis animis labefacti..... trepidare coeperunt. Et jam pridie Imperator ex eorum sententia decreverat, tribunos summa potestate armatos ad Hispanias mittere qui haereticos inquirerent, deprehensis vitam et bona adimerent. Nec dubium erat quin Sanctorum etiam maximam turbam tempestas illa depopulatura esset, parvo discrimine inter hominum genera: etenim tum solis oculis iudicabatur, cum quis pallore aut veste potius quam fide haereticus iudicabatur. Haec nequaquam placitura Martino, Episcopi sentiebant, sed male consensu illa vel molestissima erat cura, ne se ab eorum communiione adveniensi abstineret, non defuturus qui tanti viri constantiam praemissa auctoritate sequeretur. Ineunt cum Imperatore consilium ut, missis obviam Magisterii officialibus, urbem illam proprius vetaretur accedere, nisi secum pace Episcoporum ibi consistentiam adfore fateretur. Quos ille callide frustratus: proficitur se cum pace Christi esse venturum. Postremo ingressus nocturno tempore, adiit Ecclesiam, tan-

¹ *Historia Sagrada*, lib. II, fol. 347 y sigs. del tomo VI de la *Biblioteca Veterum Patrum*, edicion lugdunense.

tum orationis gratia. Postridie palatium petit. Praeter multas quas evolvere longum est, has principales petitiones habebat, pro Narsete comite et Leucadio praeside quorum ambo Gratiani partium fuerant..... Illa praecipua cura ne tribuni cum jure gladiorum ad Hispanias mitterentur. Pia enim erat sollicitudo Martino ut non solum Christianos qui sub illa erant occasione vexandi, sed ipsos etiam haereticos liberare. Verum primo die atque altero suspendit hominem callidus Imperator, sive ut rei pondus imponeret sive quia nimis sibi implacabilis erat, sive quia (ut plerique tum arbitrabantur) avaritia repugnabat: siquidem in bona eorum inhiarat..... Interea Episcopi quorum communionem Martinus non inibat, trepidi ad Regem concurrunt, praedamnatos se conquecentes, actum esse de suo omnium statu, si Theognisti pertinaciam qui eos solus palam lata sententia condemnaverat, Martini armaret auctoritas; non oportuisse hominem recipi moenibus; illum jam non defensorem haereticorum esse sed vindicem, nihil actum morte Priscilliani, si Martinus exerceat illius ultionem. Postremo postrati, cum fletu et lamentatione, potestatem regiam implorant, ut utatur adversus unum hominem vi sua. Nec multum aberat quin cogeretur Imperator Martinum cum haereticorum sorte miscere..... Ac primo secreto accersitum, blande appellat, haereticos jure damnatos more judiciorum publicorum potius quam insectationibus Sacerdotum: non esse causam qua Ithacii caeterorum quae partis ejus communionem putaret esse damnandam, Theognistum odio potius quam causa fecisse dissidium, eundemque tamen solum esse qui a communionem interim separarit, a reliquis nihil novatum. Enim etiam ante paucos dies habita Synodu, Ithacium pronuntiaverat culpam non teneri. Quibus cum Martinus parum moveretur, Rex ira accenditur, ac se de conspectu ejus abripuit. Et mox percussores his pro quibus Martinus rogaverat, diriguntur. Quod ubi Martino compertum jam noctis tempore est, palatium irrupit. Spondet, si parceretur, se communicaturum, dummodo ut et tribuni jam in excidium ad Hispaniam missi retraherentur. Nec mora intercessit, Maximus indulget omnia. Postridie Martinus communionem iniiit, satius existimans ad horam cedere quam his non consulere quorum cervicibus gladius iminebat. Verumtamen ne summa vi Episcopis nitentibus, ut communionem illam subscriptione firmare, extorqueri non poterit. Postera die se inde propripens, cum revertens in via moestus ingemiseret, se vel ad horam noxivae communioni fuisse permixtum, haud longe a vico cui nomen est Audethona, qua vastas solitudines silvarum..... ille subsedit. Astitit ei repente angelus: *Merito, Martine, compungeris, sed aliter exire nequisti. Repara virtutem, resume constantiam, ne jam non periculum gloriae sed salutis incurris.* Itaque ab illo tempore satis cavet, cum illa Ithacianae partis communionem misceri. Caeterum cum quosdam ex euergumenis tardius quam solebat et gratia minore curaret, subinde cum nobis lachrymis fatebatur se propter communionis illius malum..... detrimentum sentire virtutis. Sexdecim postea vixit annos, nullam Synodum adiit, ab omnibus Episcoporum conventibus se removito¹.

¹ «*Prologus dialogi S. Hieronymi adversus Pelagianos.* (Columnas 693 y 94, tomo II, ed. de Verona, por Vallarsi.) Ut praeteream Manichaeum, *Pris-*

¹ Diálogo 3.^o De vita B. Martini, pár. XV, pág. 369 y sigs. del tomo y coleccion citados.

cillianum, Evagrium, Iberitam, Jovinianum et totius pene Syriae haereticos, quos sermone gentili *Massalianos*, graece *Olixitas* vocant, quorum omnium ista sententia est, posse ad perfectionem et non dicam ad similitudinem sed aequalitatem Dei, humanam virtutem et scientiam pervenire: ita ut asserant se ne cogitatione quidem et ignorantia, quum ad consummationis culmen ascenderint, posse peccare².

San Jerónimo, *De viris illustribus*.—«Cap. 121. *Priscillianus*, Abilae Episcopus, qui factione Hydacii et Ithacii Treveris a Maximo Tyranno caesus est, edidit multa opuscula, de quibus ad nos aliqua pervenerunt. Hic usque hodie a nonnullis, *Gnosticae* id est Basilidae et Marci, de quibus Iraeneus scripsit, haereseos accusatur, defendentibus aliis non ita eum sensisse ut arguitur.

»Cap. 122. *Latronianus* provinciae Hispaniae, valde eruditus et in metrico opere veteribus comparandus, caesus est et ipse Treveris cum Priscilliano, Felicissimo, Juliano, Euchrocia, ejusdem factionis auctoribus. Extant ejus ingenii opera, diversis metris edita.

»Cap. 123. *Tiberianus Baeticus* scripsit pro suspicione qua cum Priscilliano accusabatur haereseos, *apologeticum* tumentis compositoque sermone, sed post moram, taedio victus exilii, mutavit propositum, et juxta Sanctam Scripturam *canis reversus ad vomitum suum*, filiam devotam Christo virginem, matrimonio copulavit.»

San Jerónimo, *Sobre Isaias*.—«Cap. 64. Gnosticos per Marcum Aegyptium primum circa Rhodanum, deinde Hispaniarum nobiles foeminas decipiens, miscentes voluptatem, et imperitiae suae nomen scientiae venditantes.»

Idem. *Ad Ctesiphontem*.—«In Hispania Agape Elpidium, mulier virum, coeca duxit in foveam, successoremque sui Priscillianum habuit, Zoroastris magi studiosissimum, et ex Mago Episcopum.»

A. 382. *Ausonio et Olybrio* Coss.—«Ea tempestate Priscillianus Episcopus de Gallacia ex Manichaeorum et Gnosticorum dogmate haeresim nominis sui condidit.»

A. D. 388. *Arcadio et Bantone* Coss.—«Priscillianus in Synodo Burdegalensi se damnandum intelligens, ad imperatorem Maximum provocavit, auditusque Treveris ab Evodio praefecto Praetorio, a Maximo gladio addictus est cum Euchrocia, Delphidii rhetoris conjuge, et Latroniano, aliisque erroris consortibus. Burdegalae quaedam Priscilliani discipula, nomine Urbica, ob impietatis pertinaciam, per seditionem vulgi, lapidibus extincta est¹.

II.—REGLA DE FÉ DEL CONCILIO TOLEDANO PRIMERO

«Credimus in unum verum Deum patrem omnipotentem et Filium et Spiritum Sanctum, visibilium et invisibilium factorem, per quem omnia facta sunt et in coelo et in terra, unum Deum et unam esse divinae substantiae Trinitatem. Patrem autem non esse filium ipsum, sed habere filium qui

¹ *Prosperi Aquitani Chronicon.* (Pág. 821 del tomo VIII de San Jerónimo, ed. citada.)

pater non sit. Filium non esse patrem, sed filium Dei de patris esse natura. Spiritum quoque esse Paracletum, qui nec pater sit ipse, nec filius, sed a patre filioque procedens. Est ergo ingenuus pater, genitus filius, non genitus Paracletus sed a patre filioque procedens. Pater est cujus vox haec audita est de coelis: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*. Filius est qui ait: *Ego a patre exivi et a Deo veni in hunc mundum*. Paracletus est spiritus, de quo filius ait: *Nisi ego abiero ad patrem, paracletus non veniet*. Hanc trinitatem personis distinctam, substantia unitam, virtute et potestate et majestate invisibilem, indifferentem. Praeter hanc nullam credimus divinam esse naturam, vel angeli vel spiritus, vel virtutis alicujus quae Deus credatur. Hunc ergo filium Dei, Deum natum a patre ante omne omnino principium, sanctificasse uterum virginis Mariae, atque ex ea verum hominem sine virili generatum semine suscepisse, duabus dumtaxat naturis, id est, deitatis et carnis in unam convenientibus omnino personam, id est, Dominum nostrum Jesum Christum. Nec imaginarium corpus, aut phantasmatis alicujus in eo fuisse, sed solidum atque verum. Hunc et esurisse et sitiisse et doluisse et flevisse et omnes corporis injurias pertulisse. Postremo a Judaeis crucifixum et sepultum et tertia die resurrexisse. Conversatum postmodum cum discipulis suis, et quadragesima post resurrectionem die ad coelum ascendisse. Hunc filium hominis, etiam filium Dei, et filium Dei et hominis filium appellamus. Resurrectionem vero futuram humanae credimus carnis, animam autem hominis non divinae esse substantiae, aut Dei patris, sed creaturam dicimus Dei voluntate creatam. Siquis autem dixerit aut crediderit a Deo omnipotente mundum hunc factum non fuisse atque omnia ejus instrumenta, anathema sit. Siquis dixerit aut crediderit Deum Patrem eundem esse Filium vel Paracletum, anathema sit. Siquis dixerit vel crediderit Filium eundem esse Patrem vel Paracletum, anathema sit. Siquis dixerit vel crediderit carnem tantum sine anima a filio Dei fuisse susceptam, anathema sit. Siquis dixerit vel crediderit Christum innascibilem esse, anathema sit. Siquis dixerit vel crediderit Deitatem nascibilem esse, anathema sit. Siquis dixerit vel crediderit alterum Deum esse praeae Legis, alterum Evangeliorum, anathema sit. Siquis dixerit vel crediderit ab altero Deo mundum factum fuisse et non ab eo, de quo scriptum est: *In principio fecit Deus coelum et terram*, anathema sit. Siquis dixerit vel crediderit corpora humana non resurgere post mortem, anathema sit. Siquis dixerit vel crediderit animam humanam Dei portionem vel Dei esse substantiam, anathema sit. Siquis dixerit vel crediderit alias Scripturas praeter quas Ecclesia Catholica recipit in autoritate, habendas vel esse venerandas, anathema sit. Siquis Astrologiae vel Mathesi existimat esse credendum, anathema sit. Siquis dixerit vel crediderit conjugia hominum quae secundum legem divinam licet habere, execrabilia esse, anathema sit. Siquis dixerit vel crediderit carnes avium seu pecudum quae ad escam datae sunt, non tantum pro castigatione hominum abstinendas, sed execrandas esse, anathema sit. Siquis in errore Priscilliani sectam sequitur vel profitetur, ut aliud in salubri baptismo contra sedem Petri faciat, anathema sit.

»Explicit regula fidei catholicae adversus Priscillianistas. Patruinus episcopus subscripsit,» etc. (Siguen las firmas de los demás Obispos.)

III.—SENTENCIA DEFINITIVA DEL MISMO CONCILIO CONTRA LOS PRISCILIANISTAS

»Die qua supra, Episcopi dixerunt: Legatur scriptura sententiae. Et legit: Etsi diu deliberantibus verum, post Caesaraugustanum Concilium, in quo sententia in certos quosque dicta fuerat, sola tamen una die, praesente Symphosio, qui postmodum declinando sententiam, praesens audire contempsit, arduum nobis esset audire jam dictos, litteris tamen sanctae memoriae Ambrosii, quas post illud Concilium ad nos miserat: ut si condemnasset quae perperam egerant, et impleissent condiciones quas praescriptae litterae continebant, reverterentur ad pacem (adde quae sanctae memoriae Syricii Papa suasisset) magnam nos constat praestitisse patientiam, et si prius indictum in Toletana urbe Concilium declinarent, ad quos illos evocaveramus et audissemus, cur non impleissent condiciones quas sibi ipsi, sancto Ambrosio praesente et audiente, possuissent, patuit respondisse Symphosium, se a recitatione eorum quae dicebant *martyres* recessisse ac dehinc receptum tentatumque, per plurimos secus aliqua gesisse reperimus, nullis libris apocryphis aut novis scientiis, quas Priscillianus composuerat, involutum: Dictinium epistolis aliquantis pene lapsam, quas omnes sua processione condemnans, correctionem petens, veniam postularet. Quem constat, ut Symphosius fecit, quaecumque contra fidem Catholicam Priscillianus scripserat, cum ipso auctore damnasse. Caeterum extortum sibi de multitudine plebis probaret Symphosius, ut ordinaret Dictinium Episcopum, quem sanctus Ambrosius decrevisset, bono pacis, locum tenere Presbyteri, non accipere honoris augmentum. Confitentur etiam illud quod alios per diversas Ecclesias ordinasset, quibus deerrant, Sacerdotes, habentes hanc fiduciam, quod cum illis prope modum totius Galliciae sentiret plebium multitudo. Ex quibus ordinatus est Paternus Bracarenis Ecclesiae Episcopus. In hac vicem confessionis primus erupit et sectam Priscilliani se scisse sed factum Episcopum, liberatum se ab ea, lectione librorum S. Ambrosii esse, juraret.

»Item *Isonius*, nuper baptizatum se a Symphosio et Episcopum factum, hoc se tenere quod in praesenti Concilio Symphosius professus est, respondit.

»*Vegetinus* vero olim, ante Caesaraugustanum Concilium Episcopus factus, similiter libros Priscilliani cum auctore damnaverat: ut de caeteris acta testantur. De quibus qui consuluntur episcopi, judicabunt.

»*Herenas* Clericos suos sequi maluerat, qui sponte, nec interrogati, Priscillianum catholicum, sanctumque martyrem clamasset, atque ipse usque ad finem, catholicum hunc esse dixisset, persecutionem ab Episcopis passum. Quo dicto omnes sanctos, jam plurimos quiescentes, aliquos in hac luce durantes, suo judicio deduxerit in reatum. Hunc cum his omnibus, tam suis Clericis quam diversis Episcopis, hoc est, Donato, Acurio, Emilio qui

¹ Sabido es que los Priscilianistas llamaban *Mártires* á Prisciliano y compañeros degollados en Tréveris.

ab eorum professione recedentes maluissent sequi consortium perditorum, decernimus ab Sacerdotio submovendum, quem constaret etiam de reliquis verbis suis convictum per tres Episcopos, multos quoque Presbyteros, sive Diaconos, cum perjurio esse meritum.

»*Vegetinum* autem, in quem nulla specialiter dicta fuerat ante sententia, data professione, quam Synodus accepit, statuimus communioni nostrae esse reddendum.

»*Paternum*, licet pro Catholica fidei veritate, et publicatae haeresis errore, libenter amplexi, Ecclesiam in qua Episcopus fuerat constitutus, tenere permisimus, recepturi etiam in nostram communionem cum Sedes Apostolica rescripserit.

»Reliqui qui ex provincia Gallaecia ad Concilium convenerant et in Symphosii semper communionem duraverant, accepta forma a Concilio missa, si subscripserint, etiam ipsi in coelestis pacis contemplatione consistant; expectantes pari exemplo quid Papa qui nunc est, quid sanctus Simplicianus Mediolanensis Episcopus, reliquique Ecclesiarum rescribant Sacerdotes. Si autem subscriptionem formae, quam missimus, non dederint, Ecclesias quas detinent, non retineant, neque his communicent qui reversi de Synodo, datis professionibus, ad suas Ecclesias revertentur.

»Sane *Vegetinum* solum cum *Paterno* communicare decrevimus. Symphosius autem senex religiosus qui quod egerit supra scribimus, in Ecclesia sua consistat, circumspiciatur circa eos quos ei reddemus, futurus, inde expectabit communionem, unde prius spem futurae pacis acceperat. Quod observandum etiam Dicitinio et Antherio esse decrevimus.

»Constituimus autem priusquam illis per Papam vel per sanctum Simplicianum communio reddatur, non Episcopos, non Presbyteros, non Diaconos ab illis ordinandos: ut sciamus si vel nunc sciant, sub conditione remissi, tandem Synodicae sententiae praestare reverentiam.

»Meminerint autem fratres et coepiscopi nostri enixe excubandum, ne quis communionem depulsus, collectiones faciat per mulierum domus, et apocrypha quae damnata sunt legant, ne communicantes his, pari societate teneantur. Quoniam quicumque has susceperint, certum est eos etiam graviori sententia retinendos esse.

»Fratri autem nostro Ortygio Ecclesiae de quibus pulsus fuerat pronuntiavimus esse reddendas.»

IV.—CONSULTA DE ORÓSIO Á SAN AGUSTIN

«.....De patria egressus sum, occulta quadam vi actus, donec in istius terrae litus adlatus sum..... Dilacerati gravius a doctoribus pravis quam a cruentissimis hostibus sumus..... Priscillianus, primum in eo Maniquaeis miserior, quod ex Veteri quoque Testamento haeresim confirmavit, docens animam quae a Deo nata sit, de quodam promptuario procedere, profiteri ante Deum se pugnaturam, instrui adoratu Angelorum. Dehinc descendente per quosdam circulos, a principatibus malignis capi, et secundum vo-

luntatem victoris principis in diversa corpora contrudi, eisque adscribi *chirographum*. Unde et Mathesim praevalere affirmabat, asserens quod hoc *chirographum* solverit Christus et affixerit cruci per passionem suam, sicut ipse Priscillianus in quadam epistola sua dicit.....¹ Tradidit autem nomina patriarcharum membra esse animae, eo quod Ruben esse in capite, Juda in pectore, Levi in corde, Benjamin in femoribus, et similia. Contra autem in membris corporis coeli signa esse disposita, id est, *arietem* in capite, *taurum* in cervice, *geminos* in brachiis, *cancerum* in pectore, etc. Volens subintelligi tenebras aeternas, et ex his principem mundi procesisse. Et hoc ipsum confirmans ex libro quodam qui inscribitur *Memoria Apostolorum*, ubi Salvator interrogari a discipulis videtur de patre ostendendo secreto, et ostendere quia de parabola Evangelica quae habet *exiit seminans seminare semen suum*, non fuerit seminator bonus: asserens quia si bonus fuisset, non fuisset negligens, non vel secus viam vel in petrosus vel in incultis jaceret semen, volens intelligi hunc esse seminantem qui animas castas spargeret in corpora divina quae vellet. Quo etiam in libro de *principio humorum* et de *principio ignis* plurima dicta sunt, volens intelligi arte, non potentia Dei omnia bona agi in hoc mundo. Dicit enim esse virginem quandam lucem quam Deus, volens dare pluviam hominibus, principi humorum ostendit, qui dum eam apprehendere cupit, commotus consudat et pluviam facit, et desitutus ab ea, mugitu suo tonitrua concitat. Trinitatem autem solo verbo loquebatur, nam unionem absque ulla existentia aut proprietate asserens, sublato et Patre et Filio et Spiritu Sancto, hunc esse unum Christum dicebat. Tunc duo cives mei, Avitus et alius Avitus, cum jam tam turpem confusionem et per seipsam veritas sola nudaret, peregrina petierunt. Nam unus Hierosolymam, alius Romam profectus est. Reversi, unus retulit Origenem, alius Victorinum. Ex his duobus alter alteri cessit: Priscillianum, tamen, ambo damnarunt. Victorinum parum novimus, quia adhuc pene ante editiones meas, Victorini sectator cessit Origenem. Coeperunt ergo ex Origene magna plura proponi, quae ex modica occasione veritas ipsa praecederet. Didicimus enim de Trinitate doctrinam satis sanam, omnia quae facta sunt, a Deo facta esse, et omnia bona valde, et facta de nihilo. Tunc deinde scripturarum solutiones satis sobrias. Omnia haec statim a sapientibus fidelis pristinorum expugnatione suscepta sunt. Remansit sola offensa de nihilo..... Isti..... Aviti duo quaedam ex libris..... Origenis correcta tradiderunt, primum omnia antequam facta apparent, semper in Dei sapientia factas mansisse..... Deinde dixerunt angelorum, principatum, potestatum, animarum scilicet daemoniorum unum principium et unam esse sententiam, et vel archangelo vel animae vel daemioni locum pro merito qualitate datum esse..... Mundum novissime ideo factum esse ut in eo animae purgarentur quae antea peccaverant. Ignem sane aeternum quo peccatores puniantur, neque esse ignem verum neque aeternum praedicaverunt: dicentes dictum esse *ignem* propriae conscientiae punitionem, *aeternum* autem juxta Etymologiam Graecam non esse perpetuum..... ac sic omnes peccatorum animas post purgationem conscientiae in unitatem corporis Christi esse redituras. Voluerunt etiam de diabolo asserere sed non praevaluerunt eo quod cum substantia in eo bona facta perire

¹ Vid. en el texto *Literatura priscilianista*.

non poterit, exusta in totum malitia diaboli, aliquando salvandam esse substantiam. De corpore vero Domini sic tradiderunt quia cum usque ad nos veniens filius Dei, post tot millia annorum otiosus eo usque non fuerit, sed (praedicant) remissionem angelis, potestatibus atque universis superioribus, cum qualitatem formae eorum quos visitaret assumeret, usque ad palpabilitatem carnis assumptionis specie transivisse, hoc passione et resurrectione determinans, rursus donec ad patrem veniret ascendendo tenuasse, ita neque depositum unquam fuisse nec in corpore ullo regnantem circumscribi Deum. Creaturam quoque subjectam corruptioni non volentes, intelligendum esse dicebant, solem et lunam et stellas et haec non elementarios esse fulgores sed rationales potestates: praebere autem servitium corruptioni, propter eum qui subjecti in specie¹.

V.—EPISTOLA DE SAN LEON A SANTO TORIBIO DE ASTORGA

«Leo Ep. Turrubio Episcopo salutem. «Quam laudabiliter pro Catholicae fidei veritate movearis, et quam sollicito Dominico gregi devotionem officii pastoralis impendas, tradita nobis per diaconum tuum fraternitatis tuae scripta demonstrant, quibus notitiae nostrae insinuare curasti, qualis in regionibus vestris de antiquae pestilentiae reliquiis errorum movillis exarserit. Nam et epistolae sermo, et comonitorii series, et libelli tui textus eloquuntur Priscillianistorum foetidissimam apud vos recaluisse sentinam. Nihil est enim sordium in quorumcumque sensibus impiorum, quod in hoc dogma non confluxerit: quoniam de omni terrenarum opinione luto, multiplicem sibi foeculentiam miscuerant: ut soli totum biberent, quicquid alii ex parte gustassent. Denique si universae haereses, quae ante Priscilliani tempus exortae sunt, diligentius retractentur, nullus pene invenitur error, de quo non traxerit impietas ista contagium: quae non contenta eorum recipere falsitates, qui ab Evangelio Christi sub Christi nomine desciverunt, tenebris se etiam paganitatis inmersit, ut per magicarum artium prophana secreta et mathematicorum vana mendacia, religionis fidem, morumque rationem in potestate daemonum, et in affectu syderum collocarent. Quod si et credi liceat et doceri, nec virtutibus praemium nec vitiiis poena debebitur, omniaque non solum humanarum legum, sed etiam divinarum constitutionum decreta solventur: quia neque de bonis neque de malis actibus ullum poterit esse iudicium, si in utramque partem fatalis necessitas motum mentis impellit, et quicquid ab hominibus agitur, non est hominum, sed astrorum. Ad hanc insaniam pertinet prodigiosa illa totius hominis corporis per duodecim coeli signa distinctio, ut diversis partibus diversae praesideant potestates: et creatura, quam Deus ad imaginem suam fecit, in tanta sit obligatione syderum, in quanta est connexione membrorum. Merito patres nostri, sub quorum temporibus haeresis haec nefanda prorupit, per totum mundum instanter egere, ut impius furor ab universa Ecclesia pelleretur: quando etiam mun-

¹ Pág. 233, col. 1.ª del tomo VI de San Agustín (ed. de Colonia, 1616).

di principes ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, ut autorem ejus cum plerisque discipulis legum publicarum esse prostrarent. Videbant enim omnem curam honestatis auferri, omnem conjugiorum copulam solvi, simulque divinum jus humanumque subverti, si hujusmodi hominibus usquam vivere cum tali professione licuisset. Profuit diu ista districtio Ecclesiasticae lenitati, quae etsi sacerdotali contenta iudicio, cruentas refugit ultiones, severis tamen constitutionibus adjuvatur, dum ad spirituale nonnumquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium. Ex quo autem multas provincias hostilis occupavit irruptio, executionem legum tempestates intercluserunt bellorum. Ex quo inter sacerdotes Dei difficiles comensus, et rari coeperunt esse conventus, invenit ob publicam perturbationem secreta perfidia libertatem, et ad multarum mentium subversionem his malis est incitata, quibus debuit esse correcta. Quae vero illic aut quanta pars plebium a cogitatione pestis hujus aliena est, ubi, sicut dilectio tua indicat, lethali morbo etiam quorundam sacerdotum corda corrupta sunt, et per quos opprimenda falsitas et defendenda veritas credebatur, per ipsos doctrinae Priscillianae Evangelium subditur Christi: ut ad prophanos sensus pietate sanctorum voluminum depravata, sub nominibus Prophetarum et Apostolorum non hoc praedictur, quod Spiritus Sanctus docuit, sed quod diaboli minister inseruit. Quia ergo dilectio tua fidelis, quantum potuit, diligentia, damnatas olim opiniones sedecim capitulis comprehendit; nos quoque strictim retractamus: ne aliquid horum blasphemiarum aut tolerabile videatur, aut dubium.

»Cap. I. *Quam impie de Trinitate personarum in Deo sentiant Priscillianistae.*—Primo itaque capitulo demonstratur, quam impie sentiant de Trinitate divina, qui et Patris et Filii et Spiritus Sancti unam atque eandem asserant esse personam, tanquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus Sanctus nominetur; nec alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de utroque processit, sed singularis unitas in tribus quidem vocabulis, sed non tribus sit accipiendi personis. Quod blasphemiae genus de Sabellii opinione sumpserunt, cujus discipuli etiam Patris passiani merito nuncupantur: quia si ipse est filius qui et pater, crux filii, patris est passio; et quidquid in forma servi filius patri obediendo sustinuit, totum in se pater ipse suscepit....

»Cap. II. *De virtutibus quas ex Deo procedere fingunt.*—In secundo capitulo ostenditur ineptum vanumque commentum, de processionibus quarundam virtutum ex Deo, quas habere coeperit, et quae essentia sui ipse praecessit. In quo Arianorum suffragantur errori, dicentium quod Pater filii prior sit, quia fuerit aliquando sine filio, et tunc pater coeperit quando filium genuit. Sed sicut illos Catholica Ecclesia detestatur, ita et istos qui putant unquam Deo id, quod ejusdem est essentiae, defuisse....

»Cap. III. *Cur unigenitus dicatur apud eos Filius Dei.*—Tertii vero capituli sermo designat quod iidem impii asserant, ideo unigenitum dici filium Dei, quia solus sit natus ex virgine. Quod utique non auderent dicere, nisi Pauli Samosatani et Photini virus hausissent, qui dixerunt, Dominum nostrum Jesum Christum, antequam nasceretur ex Virgine Maria, non fuisse...

»Cap. IV. *Quod jejument in Natali Domini et die Dominico.*—Quarto autem capitulo continetur, quod Natalem Christi quam secundum susceptionem

veri hominis Catholica Ecclesia veneratur, quia verbum caro factum est et habitavit in nobis, non vere isti honoret, sed honorare se simulent, jejunantes eodem die; sicut et die Dominico qui est dies Resurrectionis Christi. Quod utique ideo faciunt, qui Christum Dominum in vera hominis natura natum esse non credunt, sed per quandam illusionem ostentata videri volunt quae vera non fuerit, sequentes dogmata Cerdonis atque Marcionis et cognatis suis Manichaeis per omnia consonantes. Qui, sicut in nostro examine detecti atque convicti sunt, Dominicum Diem, quem nobis Salvatoris nostri Resurrectio consecravit, exigunt in moerore jejunii; Solis, ut proditum est, reverentiae hanc continentiam devoentes: ut per omnia sint nostrae fidei unitate discordes; et dies qui a nobis in laetitia habetur, ab illis in afflictione ducatur. Unde dignum est, ut inimici Crucis et Resurrectionis Christi, talem excipiant sententiam, qualem elegerunt doctrinam.

»Cap. V. *Quod animam hominis divinae asserunt esse substantiae.*—Quinto capitulo refertur quod animam hominis, divinae asserant esse substantiae, nec a natura sui, conditionis nostrae distare naturam. Quam impietatem ex philosophorum quorundam et Manichaeorum opinione manantem, Catholica fides damnat, sciens nullam tam sublimem, tamque praecipuam esse facturam, cui Deus ipse natura sit.....

»Cap. VI. *Quod aiunt diabolum nunquam fuisse bonum nec Dei opus esse sed ex chao et tenebris emerisse.*—Sexta annotatio indicat eos dicere quod diabolum nunquam fuerit bonus, nec natura ejus officium Dei sit, sed eum ex chao et tenebris emerisse, quia scilicet nullum sui habeat auctorem, sed omnis mali ipse sit principium atque substantia: cum fides catholica, omnium creaturarum sive spiritualium, sive corporalium bonam confiteatur substantiam, et mali nullam esse naturam, quia Deus..... nihil non bonum fecit.

»Cap. VII. *Damnant nuptias et qusum matrimonii.*—Septimo loco sequitur quod nuptias damnant et procreationem nascentium perhorrescunt in quo, sicut pene in omnibus, cum Manichaeorum profanitate concordant: ideo, sicut ipsorum mores probant, conjugalem copulam detestantur, quia non est illic libertas turpitudinis, ubi pudor et matrimonii servatur et sobolis.

»Cap. VIII. *Corpora humana aiunt per diabolum formari, et eorum resurrectionem negant.*—Octavum ipsorum est plasmationem humanorum corporum diaboli esse figmentum, et semina conceptionum opera daemonum in mulierum uteris figurari: propter quod resurrectionem carnis non esse credendam, quia concretio corporis non sit congruens animae dignitati..... Quod immundissimum virus de Manichaeae impietatis specialiter fonte procedens, olim fides catholica deprehendit atque damnavit.

»Cap. IX. *Filios promissionis per Spiritum Sanctum conceptos esse dicunt.*—Nona autem annotatio manifestat quod filios promissionis, ex mulieribus quidem natos, sed ex Spiritu Sancto dicant esse conceptos: ne illa soboles, quae de carnis semine nascitur, ad Dei conditionem pertinere videatur.....

»Cap. X. *Affirmant animas in coelo peccantes, in corpora detrusas pro peccati poena.*—Decimo autem capitulo referuntur asserere, animas quae humanis corporibus inferuntur, fuisse sine corpore, et in coelesti habitatio-

ne peccasse, atque ob hoc a sublimibus ad inferiora delapsas, in diversae qualitatis principes incidisse et per corias ad sydereas potestates, alias duriores, alias mitiores, corporibus esse conclusas, sorte diversa et conditione dissimili: ut quicquid in hac vita varie et inaequaliter provenit, ex praecedentibus causis videatur accidere. Quam impietatis fabulam ex multorum sibi erroribus texerunt.

»Cap. XI. *Fatalem necessitatem hominibus imponunt.*—Undecima ipsorum blasphemia est, qua fatalibus stellis et animas hominum, et corpora opinantur obstringi, per quam amentiam, necesse est, ut omnibus paganorum erroribus implicati et faventia sibi, ut putant, sidera colere, et adversantia studeant mitigare.....

»Cap. XII. *Animas certis potestatibus subiciunt, aliis corporum membra.*—Duo lectum inter haec illud est, quod ab aliis potestatibus partes animae, sub aliis corporis membra describunt, et qualitates inferiorum praesulum in patriarcharum nominibus statuunt, quibus et diverso signa sydereae, quorum virtuti corpora subiciantur, opponunt..... Nihil itaque nobiscum commune habeant, qui talia audent vel docere vel credere, et quibuslibet modis nituntur astruere, quod substantia carnis ab spe resurrectionis aliena sit, atque ita omne sacramentum Incarnationis Christi resolvunt: quia indignum fuit integrum hominem suscipi, si indignum erat integrum liberari.

»Cap. XIII. *Qualem scripturarum scientiam astruant.*—Tertio decimo loco positum est eosdem dicere quod omne corpus Scripturarum Canoniarum sub patriarcharum nominibus accipiendum sit, quia illae duodecim virtutes quae reformationem hominis interioris operantur, in horum vocabulis indicentur, sine qua scientia nullam animam posse assequi, ut in eam substantiam, de qua prodiit, reformetur.

»Cap. XIV. *Syderum et signorum potestati hominem subiciunt.*—Sub quarto decimo vero capitulo, de statu corporis sentire dicuntur, quod sub potestate siderum atque signorum pro terrena qualitate teneatur, et ideo multa in sanctis libris, quae ad exteriorem hominem pertineant, reperiri, ut in ipsis scripturis inter divinam terrenamque naturam quaedam sibi repugnet adversitas: et aliud sit quod sibi vindicent animae praesules, aliud quod corporis conditores. Quae fabulae ideo differuntur, ut et anima divinae affirmetur esse substantiae, et caro credatur malae esse naturae, quoniam et ipsum mundum cum elementis suis non opus Dei boni, sed conditionem mali profiterentur aitoris, atque ut haec mendaciorum suorum sacrilegia bonis titulis colorarent, omnia pene divina eloquia sensuum nefandorum inmisione violarent.

»Cap. XV. *Scripturas veras adulterant: falsas inducunt.*—De qua re quindecimo capitulo sermo conqueritur, et praesumptionem diabolicam merito detestatur, quia et nos istud veracium testum relatione comperimus, et multos corruptissimos eorum codices, qui canonici titulerentur, invenimus..... Curandum ergo ut, et sacerdotali diligentia maxime providendum ut falsati codices, et a sincera veritate discordes, in nullo usu lectionis habeantur. Apocryphae autem scripturae, quae sub nominibus Apostolorum multarum habent seminaria falsitatum, non solum interdicendae, sed etiam penitus auferendae sunt, atque ignibus concremandae. Unde si quis Episcoporum, vel apocrypha haberi per domos non prohibuerit, vel sub

canonicorum nomine eos codices in Ecclesia permisit legi, qui Priscilliani adulterina sunt emendatione vitiosi, haereticum se noverit iudicandum: quoniam qui alios ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat.

»Cap. XVI. *De Dicitinii scriptis.*—Postremo autem capitulo hoc prodidit justa quaerimonia, quod Dicitinii tractatus, quod secundum Priscillianum dogma conscripsit, a multis cum veneratione legitur: cum si aliquid memoriae Dicitinii tribuendum putant, reparationem ejus magis debeant amare quam lapsam. Non ergo Dicitinium sed Priscillianum legunt, et illud probent quod errans docuit, non quod correctus elegit.... Faciunt hoc Priscillianistae, faciunt Manichaei, quorum cum istis tam foederata sunt corda, ut solis nominibus discreti, sacrilegii autem suis inveniuntur uniti: quia etsi vetus testamentum, quod isti se suscipere simulant, Manichaei refutant, ad unum tamen finem, utrorumque venit intentio cum quod isti abdicando impugnant, isti recipiendo corrumpunt. In execrabilibus autem mysteriis eorum, quae quanto immundiora sunt, tanto diligentius occultantur, unum prorsus nefas est, una est obscenitas et similis turpido. Quam etsi eloqui erubescimus, sollicitissimis tamen inquisitionibus indagatam, et Manichaeorum, qui comprehensi fuerant, confessione detectam, ad publicam fecimus pervenire notitiam: ne tillo modo posset dubium videri, quod in iudicio nostro, cui non solum frequentissima praesentia Sacerdotum, sed etiam illustrium virorum dignitas et pars quaedam senatus ac plebis interfuit ipsorum qui omne facinus perpetrarent, ore reseratum est, sicut ea, quae ad dilectionem vestram nunc direximus, gesta demonstrant. Quod autem de Manichaeorum foedissimo scelere, hoc etiam de Priscillianistorum incestissima consuetudine olim compertum, multumque vulgatum est. Qui enim per omnia sunt impietatis sensum penes....»

(Responde luego el Papa á una consulta de Toribio sobre ciertos herejes que en España dudaban an *caro Christi vera requieverit in sepulchro*, y añade):

«Quod non credere satis impium est, et ad Manichaei Priscillianique doctrinam pertinere non dubium est.»

(Recomienda luego que se celebre un Concilio provinciali y se separe de la comunión católica á los Obispos infectos de Priscilianismo. Y si el Concilio no se puede celebrar, que se reunan al ménos los sacerdotes de Galicia)¹.

CAPÍTULO III

I.—HOMILIA DE SAN LEANDRO EN EL TERCER CONCILIO DE TOLEDO

«Festivitatem hanc omnium esse solemniorum festivitatum, novitas ipsa significat. Quoniam sicut nova est conversio tantorum plebium causa, ita et nobiliora sunt solito, Ecclesiae² gaudia: Nam multas solemnitates per

¹ Datum XII Kal. Augusti, *Calipio et Ardabure* Coss.

² Asi está: nótese ya la forma castellana *Iglesia*.

anni decursum celebrat Ecclesia, in quibus tamen si habet gaudia consueta, nova vero sicut in hac non habet. Aliter enim gaudet de rebus semper possessis, aliter de lucris magnis his nuper inventis. Pro qua re et nos ideo majoribus gaudiis elevamur, quod de repente novos Ecclesiam parturisse populos intuemur: et quorum asperitate quondam gemebamus, de eorum nunc gaudemus credulitate. Materia ergo gaudii nostri tribulationis praeteritae occasio fuit. Gemebamus, dum gravaremur, dum exprobareremur: sed gemitus illi id egerunt, ut hi qui per infidelitatem nobis erant sarcina, fierent nostra per suam conversionem corona. Hoc enim gratulative profert in Psalmis Ecclesia dicens: *In tribulationem dilatasti me*: et Sara dum saepe a Regibus concupiscitur, nec maculam pudicitiae sentit, et Abraham causa pulchritudinis suae divitem facit: ab ipsis enim Regibus Abraham ditatur, a quibus Sara concupiscitur. Condigne ergo Ecclesia Catholica gentes quas simul senserit fidei suae decore, *ab suo*, eas sponso, hoc est, Christo, *lucrandas ducit*, et per ea regna suum virum divitem reddit, per quae se inquietari persenserit. Sic enim dum ex initio lacessitur, vel indentium dentibus mordetur, dum premitur, eruditur: et dum insectatur, dilatur. Quoniam patientia sua aemulatores suos aut superat aut lucratur. Dicat enim ad eam divinus sermo: *Multae filiae congregaverunt divitias, tu vero supergressa est universas*. Nec mirum sit quod haereses filiae dicuntur, sed attendendum quod loco spinarum ponuntur: filiae sunt, eo quod ex semichristiano generantur: spinae sunt, eo quod foris a Dei paradiso, hoc est, extra Catholicam Ecclesiam nascantur, et hoc conjectura sensus nostri sed scripturae divinae auctoritate probatur, dicente Salomone: *Sicut liliun inter spinas, sic amica mea inter filias*. Ergo ne magnum vobis videretur quod haereses dixerit filias, continuo eas nominat esse spinas: haereses, inquam, aut in aliquem angulum mundi, aut in unam gentem inveniuntur versari. Ecclesia vero Catholica, sicut per totum mundum tenditur, ita et omnium gentium societate constituitur. Recte ergo haereses in cavernis, quibus latent, congregant ex parte divitias: Ecclesia autem Catholica in speculo totius mundi locupletata supergreditur universas. Exulta ergo, et laetare Ecclesia Dei: gaude et consurge unum corpus Christi, induere fortitudine, et juba exultatione: quoniam tui macrores in gaudium sunt mutati, et tristes habitus in amictum laetitiae versus est. Ecce repente oblita sterilitatis et paupertatis tuae, uno partu populos innumeros genuisti Christo tuo. Nam dispendiis tuis proficis, tuoque damno subcrescis: tantus denique est sponsus tuus, cujus imperio regeris, ut dum te patiatur depraedari ad modicum, rursum praedam tuam ad te reducat, et hostes tuos tibi conquirit. Sic autem agricola: sic piscator, dum lucra attendit futura, quae seminat et quo modo incesserit, non imputat damna. Tu proinde jam ne fleas, ne luceas, temporaliter quosdam recessisse a te, quos cernis cum magnis lucris rediisse ad te. Exulta ergo fidei confidentia, et tui capitis merito, fide esto robusta, dum quae recolis olim repromissa, nunc cernis fuisse completa. Ait enim in Evangelio ipsa Veritas: *Oportebat Christum mori pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum*. Tu profecto in Psalmis proclamans odientibus pacem dicens: *Magnificate Dominum meum, et exaltemus nomen ejus in unum*. Et rursum: *In conveniendo populos in unum et regna ut serviant Domino*.

»Quam dulcis sit charitas, quam delectabilis unitas, non nesciens, per prophetica vaticinia, per evangelica oracula, per apostolica documenta, non nisi connexionem gentium praedicans, non nisi unitatem populorum suspirans, non nisi pacis et charitatis bona disseminans. Laetare ergo in Domino, eo quod non sis fraudata desiderio tuo: nam quos tanto tempore, genitu teste et oratione continua conceperisti: nunc post glaciem, hiemem, post duritiam frigiditatis, post austeritatem nivis, velut iocunditatem agrorum, frugem et lactos veni temporis flores vel arridentes vinearum stipitibus palmites, repente in gaudio peperisti. Ergo, fratres, tota hilaritate animi exultemus in Domino, et jubilemus Deo salutari nostro. Hoc de caetero per ea, quae jam sublata sunt, ea quae adhuc spectantur implenda, vera esse credamus. Quae enim praefata sunt, Domino dicente: *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet ad me adduci ut sit unus grex et unus Pastor*, ecce carnis fuisse completa. Pro qua re non dubitemus totum mundum posse in Christo credere, atque ad unam Ecclesiam convenire. Quoniam rursus ipso testificante didicimus in Evangelio, et praedicabitur, inquit, hoc evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc, inquit, veniet consummatio. Si ergo remansit pars aliqua mundi, vel gens barbara quam fides non irradiaverit Christi: profecto credituram atque in unam Ecclesiam esse venturam nullo modo dubitemus, si ea quae Dominus dixit, vera esse putamus. Ergo, fratres, reposita est loco malignitatis bonitas, et erroris occurrat veritas: ut quia superbia linguarum diversitate ab unione gentes separaverat, eas rursus gremio germanitatis colligeret charitas, et quemadmodum unus possessor est totius mundi Dominus, ita et possessionis ejus esset unum cor et animus unus: *Pete a me*, ait, et *dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae*. Propterea et ex uno homine propagatum est omne hominum genus: ut qui ex uno illo procederent, unum saperent, unitatem quaererent et diligerent. Ordo ergo naturalis exposcit, ut qui ex uno homine trahunt originem, mutuam teneant charitatem: nec dissentiant a fidei veritate, qui non disjunguntur naturali propagatione. Haereses vero et divisiones e fonte manant vitiorum, unde quisquis ad unitatem venit, ex vitio ad naturam redit: quia sicut naturae est fieri ex pluribus unitatem, sic est vitii, fraternitatis declinare dulcedinem. *Erigamus ergo totam mentem in gaudium*: ut quia gentes studio decertandi pesierant, sibi in amicitiam Christus unam Ecclesiam procuraret, in qua eas rursus reduceret concordia charitatis. De hac profecto Ecclesia vaticinatur Propheta, dicens: *Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus, et iterum: Erit, inquit, in novissimis diebus praeparatus mons Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi et dicent: venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob*. Mons enim Christus est, et domus Dei Jacob, una Ecclesia est ejus: ad quam et gentium concursus et populorum pronuntiat confluere conventum. De qua rursus in alio loco dicit Propheta: *Surge, inluminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est: et ambulabunt, ait, gentes in lumine tuo, et gentes in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide: omnes isti congregati sunt, et veniunt tibi, et aedificabunt, inquit, filii peregrinorum muros tuos, et reges eorum ministrabunt tibi*. Qui ut notesceret quae ventura erant genti vel populo, quae ab unius Ecclesiae communione

recessissent, prosequitur dicens: *Gens enim et regnum quod non servierit tibi, peribit*. Alio denique loco similiter ait: *Et gentem quam nesciebas vocabis, et gentes quae non cognoverunt te, ad te current*. Unus enim est Christus Dominus, cujus est una per totum mundum Ecclesia, Sancta Possessio: ille namque caput, ista corpus, de quibus in principio Genesis dicitur: *Erunt duo in carne una*: quod Apostolus in Christo intelligit, et in Ecclesia. Dum ergo ex omnibus gentibus unam vult Christus habere Ecclesiam, quicumque extraneus est ab ea, licet Christiano nomine nuncupetur; Christi tamen corporis compage non continetur. Haeresis enim, quae respuit catholicae fidei unitatem, eo quod adulterino amore diligat Christum, non uxoris sed concubinae obtinet locum. Quoniam revera duos dicit Scriptura esse in carne una, videlicet Christum et Ecclesiam, quo locum meretrix nullum invenit tertium. *Una est enim*, ait Christus, *amica mea, una est sponsa mea, una est genitricis suae filia*. De quo item eadem Ecclesia pronuntiat dicens: *Ego dilecto meo et dilectus meus mihi*. Quaerant nunc haereses, a quo construantur, vel cujus sint prostibulum factae: quoniam ab immaculato toro recesserunt Christi: Cui quanto pretiosius esse novimus copulam charitatis, eo magis Deum in hac celebritate laudemus: quia gentes, pro quibus sanguis fusus est, unigeniti sui, non passus est extra unum ovile diaboli dentibus devorari. Lugeat vero veterinos praedo suam praedam amisisse: quia impletum videmus quod Propheta vaticinatio audivimus: *Equidem*, inquit, *haec captivitas a forte tollitur, et quod ablatum fuerat a robusto salvatur*. Parietem enim discordiae, quem fabricaverat diabolus, pax Christi destruxit: et domus quae divisione in mutuum certabant caedem, uno jam Christo lapide angulari conjungitur. Dicamus ergo omnes: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis*. Nullum enim praemium charitati compensatur. Inde omni gaudio praeponeatur quod et charitas facta sit, quae omnium virtutum obtinet principatum. Superest autem ut unanimiter unum omnes regnum effecti, tam pro stabilitate regni terreni quam pro felicitate regni coelestis, Deum precibus adeamus, ut regnum et gens quae Christum glorificavit in terris, glorificetur ab illo non solum in terris, sed etiam in caelis. Amen.»

CAPÍTULO V

I.—CARTA INÉDITA DE ELIPANDO Á LOS ODISPOS DE LAS GÁLIAS ¹

«Dominis Et in Christo Reverentissimis Fratribus Gallie adque equitane adque Avstrie Cynetic Sacerdotibus Nos Indigni et Exigvi Spanie Presvles Et ceteri Christi Fideles in Domino Aeternam salutem. Amen.

»Ad notionem nostram pervenit lugubris et funesta opinio que nos usque quaque contribit in eo quod antitrasv beati nefandi asturiensis presbyteri

¹ Ya reproducida al pie de la letra, con todas las extrañas é irregulares ortográficas del original. Téngalo presente el lector.

pseudo Christi et pseudo prophete pestiferi dogmatis sermo viperus et nidor sulfureus arcana pectoris vestri usque fedauerit ob illud quod carnis adobtio (*sic*) in filio dei secundum humane servitutis formam nequam fuisse asserit nec veram ex virgine visibilem formam susceperit. Nos igitur et contrario secundum sanctorum venerabilium Patrum Hilarij Ambrosii Augustini Iheronimi Fulgentij Isidori Eugenii Hildefonsi Iuliani et ceterorum orthodoxorum atque catholicorum dogmata: confitemur et credimus deum dei filium ante omnia tempora sine initio ex patre genitum quo aeternum et consimilem, et consubstantialem non adobtione (*sic*) sed genere neque gratia sed natura atque id ipsut eodem filio adtestante, ego et pater unum sumus, et cetera que de divinitate sua: Idem verus deus et verus homo nobis loquutus est: Pro salutem vero humani generis in fine temporis ex illa intima et ineffabili Patris substantia egrediens et a patre non recedens huius mundi infima petens, ad publicum humani generis apparens: Invisibilis visibile corpus adsumens de Virgine ineffabiliter per integra Virginalia matris enixus secundum traditiones Patrum. Confitemur et credimus eum factum ex muliere factum sub lege, non genere esse filium dei set adobtione (*sic*), neque natura set gratia. Id ipsut eodem domino adtestante qui ait: Pater maior me est: et evangelista de illo: Puer autem crescebat et confortabatur plenus sapientia, et gratia dei erat in illo: Et iterum: vidimus gloriam eius quasi gloriam unigeniti a patre: plenum gratia et veritate: de qua adobtione (*sic*) carnis. beatus Ambrosius in libro de Trinitate loquitur dicens *Quomodo conversi estis ad deum a simulacris servite deo vibo et vero*. Illi enim dij esse simulantur natura autem deus vibus et verus est Nam et in ipso usu non est adoptivus (*sic*) filius: et verus filius. Adoptivum (*sic*) filium non dicimus natura esse qui verus est filius. Item post aliqua: Partus enim Virginis, non natura mutavit sed generandi usum novavit. Denique caro de carne nata est: Habuit ergo de suo virgo quod traderet: Non enim alienum dedit mater, set proprium e visceribus suis contulit: Inusitato modo sed usitato munere habuit: Igitur carnem virgo quam nature sollempnis iure transcripsit (*sic*) in fretum¹. Eadem igitur secundum carnem generantis marie: genitricis natura nec dissimilis fratribus quia dicit scriptura (*sic*), ut per omnia fratribus similis fieret: Similis utique dei filius nostri non secundum divinitatis plenitudinem, set secundum anime rationabilis, et ut expressius dicamus humane nostrique corporis veritatem. Item beatus Iliarius pictabiensis sic dicit, Parit virgo partus adeo est: vagit infans, laudantes angeli adorant: Panni sordent deus adoratur: Ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adobatur (*sic*). Item beatus Iheronimus in expositione Apocalipsis ubi dicit calculum candidum id est gemma alba adobtio (*sic*) carnis in filio dei. Item in epistola ad Cesarium: Non istud verbum quod in patre et cum patre fuisse esse credendum est. Sed homo quem in gratia salutis deus verbum suscepit audibit. Ego odie (*sic*) genui te: Hic filius hominis per dei filium in dei filio esse promeretur, nec adobtio (*sic*) a natura separatur, set natura cum adobtione (*sic*) coniungitur: Beatus quoque Agustinus in expositione evangelij secundum Iohannem iuxta formam deitatis ita dicit: Filius Dei non est adobtione, set genere neque gratia set natura: Item in omelia secundum

¹ Por foetum.

humane servitutis formam ita dicit: homo adobtatus (*sic*) cuius gloriam quesibit qui est ab illo unicus natus. Ecce quem agustinus dicit adobatum (*sic*). hunc Iohannes apostolus dicit: advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum, qui etiam interpellat pro nobis.

»Igitur beatus Isidorus in libro Ethimologiarum ita dicit: unigenitus autem vocatur secundum divinitatis excellentiam quia sine fratribus: Primogenitus secundum susceptionem hominis. In qua per apobtionem (*sic*) gratia fratres abere dignatus est quibus esset primogenitus. Item precessores nostri Eugenius Hildefonsus Iulianus Toletane sedis antistites in suis dogmatibus ita dixerunt: In missam de cena domini qui per adobtivi hominis passione dum suo non indulgit corpore nostro demum idest iterum non pepercit: et alibi, qui pietate tua per adobtivi hominis passionem quasi quasdam in presentis populi acquisitione manubias: quum non exhiberit e celo, exhiberit etriumpho: et quum non abuerit divinitas inmutabilis pugnam abuerit fragilitas adsumta victoriam. Item in missam de ascensione domini: Odie Saluator noster post adobtionem carnis sedem repetit deitatis. Item in missam defunctorum: quos fecisti adobtionis participes iubeas hereditati tue esse consortes.

»Ecce quos in adobtione participes esse non dubitat: consortes fieri in hereditate exobtat.

»Credimus igitur et confitemur deum dei filium, lumen de lumine deum verum ex deo vero ex patre unigenitum sine adoptione, primogenitum vero in fine temporis verum hominem adsumendo de virgine in carnis adoptione: unigenitum in natura, primogenitum in adobtione et gratia. De quo Apostolus ait: nam quos prescibit et predestinavit conformes fieri imaginis filij eius ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Prater scilicet eos de quibus per Psalmistam dicit: narrabo nomen tuum fratribus meis: Unde fratres nisi de sola carnis adobtione per quod fratres abere dignatus est. De quibus Spiritus sanctus per Davit loquutus est: unxit te deus deus tuus oleo letitie pre consortibus tuis. Consortes eius sunt de quibus Iohannes apostolus ait: Karissimi nunc filij dei sumus, et nondum apparuit quid e rimus: scimus quia quum apparuerit similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est: similes utique in carnis adobtione non similes etn² in divinitate.

»Unctio vera illa spiritus sancti in qua maxime in filio dei secundum humanitatem plusquam in electis eius factus est per septiformem spiritualium carismata gratiarum. Illam esse credimus quam Esayas loquitur dicens requiescet super eum spiritus Domini spiritus sapientie et intellectus, spiritus consilij et fortitudinis, spiritus scientie et pietatis et replebit eum spiritus timoris Domini. Hanc plenitudinem unctionis in solo filio Dei adobtivo et primogenito credimus esse, in ceteris vero sanctis ad mensuram data est huius rei gratia unctionis.

»De filio tamen unigenito et sine adobtione vox patris inquitens ait ex utero ante Luciferum genui te. Et iterum per psalmistam Eructabit cor meum verbum bonum. Et iterum alibi egredietur de ore meo iustitie verbum: Id vox filij sine adobtione ita dicit: ante omnem creaturam ego ex ore altissimi processi priusquam lucifer oriretur ego eram priusquam in planitie proster-

¹ Por et.

neret campos et in altum erigeret montes, ego eram cui pater congaudebat cotidie dum letaretur orbe perfecto. Et iterum ante colles ego parturiebar, aduc terram non fecerat, quando parabat celos aderam dum vallaret mari terminos, et legem poneret aquis, ego eram: Item vox patris de filio primogenito et adoptivo ita dicit per moysen. Profetam suscitabit dominus Deus de fratribus vestris ipsum audietis tanquam me; Et in Evangelio: hic est filius meus dilectus in quo michi bene complacuit, ipsum audite, et per david: Ipse invocabit me pater meus est, tu deus meus et susceptor salutis mee, et ego primogenitum ponam illum excelsum pre regibus terre. In eternum servabo illi misericordia mea et testamentum meum fidele ipsi et ponam in secula seculorum sedem eius et tronum eius sicut dies celi. Cui iterum dicit *Pete a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terre*. Cui iterum pater per esayam dicit ego ante te ibo et gloriosos terre humiliabo. Et iterum ego ante te ambulabo et montes planos faciam et seras ferreas confringam, et dabo tibi tesuros occultos ut scias quoniam dominus Deus tuus ego sum. Et per micam: nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato anime mee: quod dixit primogenitum secundum humanitatem: quod dixit fructum ventris mei secundum divinitatem, et iterum de filio primogenito ad david dicit: cum dormieris cum patribus tuis, suscitabo de lumbis tuis qui sedeat super tronum srahel, ego ero ei in patrem et ipse erit michi in filium: Sed et alibi in libro Jesu filij sirac, miserere domine plebi tue super quam invocatum est nomen tuum: et srahel quem quoquequasti primogenito tuo.

»Apostolus igitur paulus de divinitate et humanitate eius connixtum loquens ita dicit: multifarie multisque modis olim deus loquutus est patribus nostris in profetis, novissimis diebus loquutus est nobis in filio quem constituit heredem universorum per quem etiam fecit et secula. Quum sit splendor glorie et figura substantie eius *portans que omnia verbo virtutis sue purgationem peccatorum* faciens sedet ad dexteram maiestatis *in excelsis tanto melior* angelis effectus quanto differentius pre illis nomen hereditabit: Cui enim dixit aliquando filius meus es tu, ego odie genui te: Et iterum quum introduceret in orbem terre dicit: adorent eum omnes angeli eius.

»His premissis Sanctorum Patrum sententijs assertionibus nostris roboratis in commune decrevimus: ab eorum decretis nullo modo deviare vestigijs, set studioso custodire preceptis. Ita ut in uno eodemque dei et hominis filio: In una persona duabus quoque esse naturis plenis atque perfectis, dei et hominis, Domini et servi, visibilis adque invisibilis tribus quoque substantijs, verbi scilicet anime et carnis, ut credatur esse in una eademque dei et hominis persona et homo deificus, et humanatus deus. Iuxta beati augustini eloquium dicentis: Ex forma enim servi crucifixus est: et tamen dominus maiestatis dicitur crucifixus: talis enim erat illa susceptio qua et Deum hominem faceret et hominem deum. Et post aliqua inter iecta: Qui cum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se equalem deo. Quid est non rapinam arbitratus est non usurpavit equalitatem dei set erat in illa in qua natus erat: Formam servi accipiens, non amittens quod erat, set accipiens quod non erat. Item ipse: In eo etiam quod de illo scribitur est quod accepit adeo promissionem Spiritus Sancti et effuderit utraque natura monstratus est humana scilicet et divina: Accepit quippe ut homo, effudit quippe ut

Deus: et post pauca: Ipse ergo Christus dei filius, et deus et homo, et dedit de celo ut deus, et accepti in terra ut homo: Item ipse dei filius inmutabiliter bonus Ipse manens quod erat, et a nobis accipiens quod non erat, Preter sue nature detrimentum nostre dignatus est inire consortium. Item ipse: que quidem omnia ideo ad verbum referuntur, ut una filij dei persona in sinuatur; ne quasi duo Christi videantur: unus deus et alter homo. Ita sane factum ut ibi non solum verbum dei et hominis caro, set etiam rationalis hominis anima: adque hoc totum et deus dicatur esse propter deum et homo propter hominem. Unus ergo Christus non confusione substantie set unitate persone:

»Diversa quidem substantia est deus pater et homo mater scilicet ancilla et deus *virgo maria* non tamen diversa substantia deus pater et deus filius sicut non est diversa substantia homo mater et homo filius. Set audi quid dicat in profeta iste filius: De ventre inquit matris mee deus meus es tu: ut ostenderet patrem hinc esse deum suum quia homo factus est: Homo enim de ventre matris est natus. Et secundum hominem ex virgine natus est deus: Ut non solum pater illi esset qui cum de se ipso, hoc est de sua substantia genuisset: verum etiam deus eius esset: et que de ventre matris hominem creabit: quum legimus ergo verbum caro factum est et habitabit in nobis: In verbum intelligimus verum dei filium: In carne agnoscimus verum hominis filium: et utrumque simul in unam personam dei et hominis filium, ineffabilis gratie largitate coniunctum. Propter quod et de illo Iohannes dicit: vidimus gloriam eius quasi gloriam unigeniti a patre: et post pauca: Iterrime confitemur et hominem in deo dei filium et deum in hominem virginis filium: Est plenissima et fidelissima ratio vel in uno eodemque Christo. In quo ad unitatem persone intra utrumque virginalem divinitas humanitasque compacta est sicut hominem deus ita etiam hominem deum genuisse creditur: Ita ut qui suscepit et quod suscepit una sit in Trinitate persona neque enim homine adsumta quaternitas facta est, set trinitas mansit adsumptione illa ineffabiliter faciente persone unius in deo et homine veritatem: Proinde Christus Iesus dei filius est et deus et homo: deus ante omnia secula, homo in nostro seculo: deus quia dei verbum: deus enim erat verbum: homo autem quia in unitatem sit *quia in unitatem* persone accessit verbo anima rationalis et caro. Quo circa in quantum deus est ipse et pater unum sunt. In quantum homo est, pater maior est illo: Quum enim esset unicus dei filius: non adoptione set genere neque gratia set natura: ut esset etiam plenus in formam servi adoptione et gratia factus est hominis filius. Idem ipse utrumque ex utroque unus Christus, qui cum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est: quod natura est, Idem esse equalis deo: ac per hoc et minor factus est et mansit equalis: utrumque vnus, sicut dictum est, set aliud propter Verbum, aliud propter hominem. Idemque dei filius non duo filij: deus et homo sed unus dei filius. Deus sine initio, homo accepto initio. Dominus noster Iesus Christus. Deus enim et homo, non duo set unus est Christus, vnus autem non conversione divinitatis in carne sed adsumptione humanitatis in Deum: quia sicut in vno quoque homine duo sunt quidem substantie set una persona est anima et caro ita etiam in domino et salvatore nostro: Licet utraque substantia integritatem suam servet ut scilicet nec in carne, coaguletur divinitas nec in divinitate resolvatur humanitas utraque tamen unus est Chris-

tus: vnus mundi redemptor et dominus: Cuius unitatis tanta ratio est ut quemque humana sunt deo adscribantur: et ideo cum filium dei Christum dicimus hominem non separamus: nec rursus cum eundem Christum filium hominis dicimus: separamus Deum. secundum hominem namque in terra erat non in celo ubi nunc est: quando dicebat nemo ascendit in celum, nisi qui de celo descendit filius hominis qui est in celo. Et iterum ipse post aliqua. Inter deum et homines mediator apparuit ut in unitatem persone copulans utramque naturam: et solita sublimaret insolitis. et insolita solitis temperaret. *Has igitur tanti doctoris sententias: ideo in nostra defensione protulimus. ut unigenitum dei filium sine tempore ex patre genitum credamus non adobtionem set genere neque gratia. set natura: In finem vero temporis pro salute humani generis in formam servi carnem adsumendo de virgine secundum apostolum primogenitum inter fratres in una eademque dei et hominis persona. non genere. set adobtionem neque natura set gratia. In ea forma qua equalis matri non in ea qua equalis est patri: quia in forma servi servus ideo adobtivus: In forma autem domini. dominus servi: De qua forma servitutis Deus pater. profeta loquitur dicens: ecce intellegit servus meus: et iterum ecce servus meus suscipiam eum. electus meus complacuit sibi in illo anima mea: Set quare egre suscipiat quisquis ille est. Secundum humanitatem in filio dei adobtionem quum de eo psalmista dicat minorasti eum paulo minus ab angelis. et ipse de semet ipso per psalmistam ego autem sum vermis et non homo obprobrium hominum et abieccio plebis! et propheta de illo. Vidimus eum et non erat aspectus. et nos putabimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum ecce quia tanta de eius humilitate dicta sunt quur non adserimus adobtionem carnis in filio dei esse quisquis ille est: numquid ignominiosius aut deterius est dicere adobtionem in filio Dei potius quam *servitatem* quum etiam apostolus paulus de eius servitute confirmet dicens: Christus Iesus qui quum in forma Dei esset. non rapinam arbitratus est. esse se equalem deo. set semet ipsum exinanivit formam servi accipiens. humiliabit se usque ad mortem. mortem autem crucis. Quur dicere quisquis ille est pabeat adobtivum. quem sermo profeticus non formidat. dicere servum. Numquid honoratior est nomen servi: potius quam filij adobtivi? Adobtivus enim adfiliatus dicitur: Et tu quisquis ille es pabes dicere adobtivum? Profeta dicit. et nos putabimus eum quasi leprosum. et tu pabes dicere adobtivum. Quare ista villora in filio dei dicta sunt? Profeta respondeat: Ipse autem humiliatus est propter iniquitates nostras. et adtritus est propter scelera nostra. disciplina pacis nostre super eum et livore eius sanati sumus: et dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrorum. Oblatus est quid ipse voluit et *tradidit in mortem* pro salute fratrum. Si voluntate occubuit dicere eum non aborruit *Qui corpus proprium* flagellis impiorum subdidit et manus proprias a delicto innoxias in cruce extendit: ut nos de dominatu antiqui hostis iustitia potius quam potestate liberaret.*

»Credimus igitur et confitemur vnigenitum Dei filium sine tempore incorporeum. et ineffabilem. et invisibilem. et sine adobtionem: credimus eum in fine temporis primogenitum ex marie virginis utero ineffabiliter et corporaliter egressum. Deitate exinanita in carnis adobtionem secundum David qui dicit: Ipse invocabit me pater meus es tu, deus meus et susceptor salutis mee: et ego primogenitum ponam illum excelsum pre regibus terre: Secundum

miceam qui dicit. numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo: Secundum Ihesum filium sirac qui dicit: miscrere Domine plebi tue super quam invocatum est nomen tuum et srahel quem quoqueasti primogenitum tuo.

»Item humano generi consortem secundum David qui dicit. vnxit te deus deus tuus oleo letitie pre consortibus tuis:

»Secundum apostolum conformem humano generi sicut ipse dicit: nam quos prescibit et predestinabit conformes fieri imaginis filij eius. ut sit ipse *primogenitus in multis* fratribus. Secundum ambrosium adobtivum qui dicit usu nostro adobtivus filius. Secundum agustinum qui dicit homo adobtatus qui est ab illo unicus natus:

»Secundum Iheronimum qui dicit gemma alba adobtio carnis est in filio dei: Secundum Isidorum qui dicit primogenitus autem vocatur secundum susceptionem hominis in qua per adobtionem gratie fratres abere dignatus est. quibus esset primogenitus. Unde et secundum beatum gregorium dicitur dei filium primogenitum sine peccato. unigenitum sine adobtionem: Secundum Eugenium qui dicit. qui per adobtivus hominis passionem dum suo non indulgit corpori nostro demum id est iterum non peperit. Secundum hildefonsum qui dicit odie post adobtionem carnis sedem repetit deitatis: Secundum Iulianum qui dicit quos fecisti adobtionem participes iubeas hereditati tue esse consortes:

»Set et illud opere pretium huic operi connectendum esse putavimus quod paulus apostolus ad galatas scribit dicens ubi sic ait: habemus spiritum adobtionis in quo clamamus abba pater: De quo spiritu etiam psalmista ait ascendit in altum cepit captivitatem dedit dona hominibus: De hoc et beatus agustinus in suis dogmatibus dicit: Igitur ante ascensionem gratiam *spiritus* apostoli acceperunt qua possunt peccata dimittere et baptizare et credentibus spiritum adobtionis infundere post ascensionem vero *multo maiorem* sancti spiritus gratiam perceperunt in *operatione virtutum* et gratia sanitarum: et diversarum *perceptione linguarum.*

»Item beatus isidorus in libro *differentiarum* sic dicit: Christus Iesus veniens crudelitatem. Peccata que lex puniebat per spiritum *servitutis relaxabit* per spiritum adobtionis: filios *exervis* reddidit amorem implende legis condonabit et si deinceps punienda commiserint per eundem adobtionis spiritum indulget. formam bene agendi prebuit. et ut possit agi que docuit. adiutorem spiritum infudit: Nam et in exorcismis ita contra hostem dicitur: recede ab his famulis Christi confusus. et per spiritum adobtionis seclusus.

Ecce si spiritus sanctus qui est incorporeus et invisibilis et ineffabilis aliquando donum aliquando adobtivus dicere non timetur. quur filius dei secundum formam servi deitate exinanita. corporeus et visibilis et palpabilis: adobtivus esse dicere dubitatur. *Certe si in ore duorum vel trium* testium iuxta sententiam domini stat omne verbum quanto magis *toth venerabilium patrum veredicum* de adobtionem carnis *refutetur testimonium.* His exentis que de inmensa *scripturarum pelago* iuxta nostrarum virium *fortitudinem* et *sententis* nostri tenuitatem decerpere potuimus in nostra defensione ob posuimus et rite custodienda docemus..... superest ut quisque ille adobtionem.....